S·D·N·D· PAVLI

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE III.

BVLLA

NOVAE MONITIONIS ET REquisitionis pœnalis Prælatorum, & aliorũ vocem in Concilio habentium: vt ad illud quantocitius possint, per se ipsos, & nõ p̄ Procuratores, compareant & intersint.



14

PAVLVS EPISCO-
PVS SERVVS SER-
VORVM DEI.
AD FVTVRAM REI
MEMORIAM.

DECET Nos à cœlesti patrefamilias vineæ suæ excolendæ præfectos more diligentis villici, qui singula quæq; in agro suo peragenda, non solum opportunis loco & tempore, verũetiã per ministros ad id idoneos expediri curat, diligenter intendere: vt quæ in eadem vinea pro tempore facienda occurrunt, tum congruis loco & tẽpore, tum etiã per ministros, ad quos ea spectant, sollicite procurentur. Dudum siquidem sperantes ex celebratione Oecumenici & generalis Concilij fieri posse, vt dissidia in religione Christiana tollerẽtur, & X̄piani populi mores reformarentur, ac sub sanctissimo Crucis vexillo, expeditio cõtra infideles susciperetur: Sacrũ Oecumenicũ & generale Concilium, in Ciuitate Tridentina incipiendum & prosequendum indiximus, & annunciauimus: ac omnes, omnibus ex locis, tam venerabiles fratres nostros, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, ac dilectos filios Abbates, & alios quoscunq;, quibus iure, aut priuilegio, in Cõcilijs generalibus residendi, & sententias in eo dicendi po-

testas permissa est, requisiuimus, hortati fuimus, & monuimus, eis nihilominus in vi Iurisiurandi, quod nobis, & huic Sanctæ Sedi Apostolicæ præstiterant, in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœnis iure aut consuetudine in celebrationibus Conciliorū aduersus non accedentes ferri, & proponi solitis: Mandantes arctè q̄ præcipientes, vt ipsimet personaliter, nisi forte iusto detinerentur impedimento de quo fidem facere tenerentur, aut eo casu per suos legitimos procuratores & nuncios, prosecutioni celebrationis Concilij huiusmodi, omnino adesse, & interesse vellent, prout in diuersis nostris desuper confectis literis plenius continetur. Cum autem, sicut nobis nuper innotuit, licet Quarta Dominica Quadragesimæ, quā tanq̄ diem lætitiæ ad prosequendum Concilium huiusmodi deputaueramus, iamdiu effluxerit: Nihilominus præter nostros, & dictæ Sedis Legatos, ac quosdam Prælatos, qui è Curia Romanā. illuc se contulerunt, pauci adhuc prælati ad dictā Ciuitatem accesserint, quinimmo fidedignorū relatione acceperimus, quamplures ex prælatis & alijs in Concilijs generalibus vocē habentibus, non reminiscentes, q̄ ipsi vbi aliquo legitimo iuris impedimento non detineantur, p̄ se ipsos, & non per procuratores, in Concilio comparere, & illius prosecutioni interesse debent, propterea q̄ mandata ad inibi pro se comparendum alijs, dederint, ad Cōcilium huiusmodi accedere non curare. Nos attendentes grauitatem negotiorum, quæ in eodem Concilio tractanda erunt, prælatorum, & aliorum vocem habentiū huiusmodi

Iudicium, Consilium, & præsentiam exigere. Et proptérea ne sub prætextu alicuius forsan minus legitimi impedimenti, aut spei eorum admissionis per procuratorem, ipsi ab accedendo ad ipsum Concilium retrahantur; & vt absque aliqua corruptela singulorum Prælatorum & aliorum, vt præfertur, vocem habentium, iudicia & consilia huiusmodi in eodem Concilio libere exquiri & haberi possint, prouidere volétes. Habita desuper cum venerabilibus fratribus nostris, S. R. E. Cardinalibus matura deliberatióne: De eorum Consilio & assensu, eosdem Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, ac Abbates, & alios quibus in Concilijs generalibus residendi, & in eis sententias dicendi (vt præmittitur) permissa est potestas: De nouo monemus, & hortamur, ac in Dño requirimus; eisque non solum sub periurij, & alijs pœnis prædictis, verumetiam sub suspensionis à regimine, & administratione Ecclesiarũ quibus præsunt, ac aliarum dignitatum, cæterorũque beneficiorum Ecclesiasticorum; quorum ratione eis locus in Cõcilio, & potestas sententiam in eo dicendi permittitur, per eos obtentorum, necnon interdicti ingressus Ecclesiæ, sentẽtijs, per eos, nisi præsentibus cũ effectu paruerint, eo ipso incurrendis, districte præcipiẽdo mãdamus: quatenus mãdatis procurationũ per eos hactenus, vt præfertur, factis vel imposterum faciendis, quæ omnino reuocare, & eorũ reuocationem procuratoribus per eos constitutis, aut Concilio huiusmodi intimare, sub eisdem pœnis & sententijs teneantur minime attentis: Ipsimet personaliter per se

A

ipsos, & nō p procuratorem, aut procuratores (nisi forte iusto detineātur impedimento) quo casu, procuratorem ad se in eodem Concilio excusandum, & de eorum impedimento, fidem legitimam faciendum, ita tamen q eodem impedimento cessante, ipsi personaliter, & non per procuratorem, aut procuratores, ad hoc omnino teneantur constituere possint, quâtocitius poterunt, ad eādem ciuitatē Tridentinam accedere, & prosecutioni celebrationis Concilij huiusmodi adesse, & interesse velint, nec mandata procurationum, pro aliquibus Prælatis, aut alijs vocē, vt pfertur, habētibus, nisi iusto impedimento detineantur, & tunc ad eorum impedimenta duntaxat deducendum & probādum, recipere aut acceptare præsumant. Nos enim omnia & singula mandata, per eosdem Prælatos & alios, vt præfertur, vocem habentes: ad aliud q eorum iustum impedimentum in Concilio huiusmodi allegandum & probandum, hactenus facta & imposterum facienda, nulla, irrita & inania, nulliusq; roboris & momenti fore, ac solum Prælatos & alios, vocem, vt præfertur, habentes, in dicto Concilio præsentes, & pro ipsismet præsentibus duntaxat, & non alijs, etiam si ab eis mandata, cū quacūq; etiam plena & libera facultate & potestate habuerint, vocem in dicto Concilio habere: Sicq; in pmissis omnibus & singulis, per quoscunq; quauis auctoritate fungētes, Sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi auctoritate & facultate, iudicari & interpretari debere, ac quicquid secus super hijs a quoq; quauis

auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritũ & inane decernimus. Nonobstantibus quibusuis concessionibus, indulgentijs, & literis Apostolicis, eis, & quibusuis alijs, sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusq;, & alijs decretis quomodolibet, etiam motu proprio, concessis: ac etiam iteratis vicibus approbatis & innouatis: contrarijs quibuscunq;. Aut si Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & alijs sub p̄sentibus literis comprehensis, cõmuniter vel diuisim, ab eadem sit sede indultum, ꝙ interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Vt autem p̄missa omnia, ad eorum, quorum interest, notitiam, deducantur, Nullusq; de eis ignorantiam iuste prætendere possit: Volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, ꝙ præsentes literæ, ꝑ aliquos Curiæ nostræ Cursores, vel Notarios publicos, in Basilica principis Apostolorum de Vrbe, & Ecclesia Lateranē. Dum inibi multitudo ad diuina audienda conuenerit, palam, & clara voce legantur: & lectæ, in earundem Basilicæ & ecclesiæ ac Cancellariæ Apostolicæ valuis, necnon in acie Campi Floræ affigantur, vbi ad lectionem, & notitiam cunctorũ aliquandiu affixæ pendeant, & cũ inde amouebuntur, earũ exempla, in eisdem locis remaneant affixa. Q d̄q; earum transumptis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo

alicuius p̄sonæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, certa & ĩdubitata fides adhibeatur, prout p̄sētibus literis adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam nostræ monitionis, hortationis, requisitionis, voluntatis, & decreti, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attētare præsumpserit, indignationē omnipotētis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingētesimo Quadragesimo Quinto. Quintodecimo Kal. Maij. Pontificatus nostri, Anno Vndecimo.

Fab. Ep̄us Spoletin̄.

B. Motta.

ANNO a Natiuitate Domini, Millesimo Quingẽtesimo Quadragesimo quinto, Indictione tertia, Die vero prima Mensis Maij. Pontificatus Sãctissimi in Christo patris, & Domini nostri Domini Pauli, diuina prouidentia Papæ Tertij, Anno eius Vndecimo. Retroscriptæ literæ monitionis, hortationis, & requisitionis, palã, publice, clara & intelligibili voce, in basilica Principis Apostolorũ de Vrbe, dum inibi diuina officia de mane celebrabantur, & magna populi multitudo congregata esset, de verbo ad verbum, per me Ioannem Roillard, præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursorẽ, lectæ & deinde affixæ & publicatæ fuerunt. Et successiue eadem die in Ecclesia sancti Ioannis Lateraneñ. etiam de verbo ad verbum similiter hora vesperorum, per me eundem Ioannem lectæ & affixæ ac publicatæ fuerunt. Et postmodũ eadẽ die affixæ & publicatæ, in valuis seu portis Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis in supradictis locis, per aliquod temporis spatium, affixis, & deinde amotis, copiam earundem literarum in quolibet loco supradicto affigendo & dimittendo, p nos Petrũ Gomez, & Ioannem Roillard, prælibati Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores.

Ita est Petrus Gomez Cursor.
Ita est Ioannes Roillard Cursor.
Ita est Dominicus Vaquer Magister Cursorum.